

et cuiuslibet vestrum harum serie firmissime aliud habere nolentes, vt amodo dum et quociescunque Vicecomites in Comitatus illius Regni nostri, precipue vero in Zagrabiensi et Varasdinensi eligi contigerit, tales obseruata priori et antiqua consuetudine iuxta formam Decreti non alienigenas, nec forenses, sed Nobiles illius Comitatus, in quo talis Vicecomes eligi debet, eligantur et preficiantur; post quorum electionem ab eisdem Juramentum iuxta formam Decreti deponendum exigatis, quo in reddendis et administrandis Justicia et Judiciis magis stabiles et firmi existant, nec vllo vnquam tempore premissam libertatem et consuetudinem antiquam quouis quesito colore infringere vel violare presumatis; sed ipsos Regnicolas nostros in ea ipsa libertate semper et omni tempore conseruare debeatis et teneamini. Secus nullo modo facturi gracie nostre sub obtentu. Presentibus perlectis exhibenti restitulis. Datum Bude in festo Sacratissimi Corporis Christi. Anno Domini Millesimo quingentesimo tercio, Regnorum nostrorum Hungarie &c. Anno tredecimo, Bohemie vero Tricesimo tercio.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 113.

CLXXII.

Anno 1504. Feria 2. prox. post festum Ascensionis Domini. Budae.

Vladislaus Rex Bano Slavoniae, ut secundum legem et consuetudinem Regni Slavoniae, Processus Juridicos debite executioni demandari in futurum non praetermittat, commitit.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Lyphouie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano. Salutem et grariam. Noueritis, pro parte et in personis fidelium nostrorum Vniuersorum Regnicolarum illius Regni nostri Sclauonie nobis humiliter fuisse supplicatum, quatenus processus illos Juridicos et sentencias, qui et que in sede Judiciaria illius Regni nostri in quibuscunque causis per quoscunque et contra quoscunque ordine Juris obseruato, per compleciones terminorum ita et taliter facti sunt et reportate, quod nullus omnino processus Juridicus causis in eisdem vltius fieri possit, debite per vos Execucioni demandari facere dignemur. Nos itaque attendentes supplicacionem eorum iustam et Juri consonam esse; cum frustra fierent Iudicia, si ea, que iudicialiter decernuntur, debite non demandarentur execucioni, fidelitati vestre harum serie firmiter precipientes mandamus, quatenus vniuersos eiusmodi processus Juridicos et sentencias, qui videlicet et